ΕΓΚΩΜΙΟΝ

τῆς εἰρήνης.

Laudatio pacis.

Ioanne Lelando Antiquario autore.

AD INGENVOS PACIS CVLTORES.

Candida syncerae colitis qui munera Pacis,
Concinite haec melicis carmina laeta sonis.
Festa dies nobis quae Pacem reddidit almam
Sublatis tenebris rettulit omne iubar.
Concordes igitur ueneremur pectore Christum
Autorem lucis, praesidiumq; ratum.

Londini anno
M.D.XLVI.

ΣΥΓΚΡΙΣΙΣ.

PRima rosis sedes picto debetur in horto,
Proximam & à prima lilia cana tenent.
Illæ Sidoniæ tinguntur murice gentis:
Hæc sunt Sithonia candidiora niue.
Illas noster amat tanquam sua stēmata Princeps:
Hæc etiam summo Gallus honore colit.
Lilia purpureis Dij seruent iuncta rosetis,
Vernet ut in terris Pacis amica Quies.

Encomium pacis

Ioanne Lelando Antiquario
autore.

MArtia bella canant alij, gladiósque cruentos.
Me iuuat eximiæ felicia numina Pacis
Carmine conspicuo uel ad astra extollere pura.
Aspirate mihi radiantia lumina cœli,
Inceptísque meis iustas extendite uires.
Tu quoq; clare Pater Patriæ, qui gloria Regum
Prima Henrice nites uotis nunc annue nostris.
Sic mea Musa suas præstabit candida partes,
Atque manu facili roseam bene læta coronam
Contexet, niueæ quæ tempora festa serenet
Pacis, prætereà titulos & conferat amplos.

IVppiter omnipotens celsi qui rector olympi
Iudicio quodam maturo prospicit orbi,
Arbitrióque uices rerum sic temperat æquo,
Vt se perpetuum monstret Dominúmq;, Deúmq;,
Et genus humanum contractet mitius omne:
Hac ratione tamen Pater ut compareat esse
Communis populi, leges quoque sanciat almas,

Illius imperium per quas grex candidus usque
Suspiceret, coleret meritósque referret honores.
Quóque uel intentos animos ut redderet ille
Officiúmque suum præstarent pectore læto
Talia sponte tulit, mortales qualia nulli
Dona sibique suisque ausi sperare futura.
Auricomum solem fecit lunámq; serenam,
Sedibus inq; suis fulgentia sidera certis.
Aequora constituit uastas cingentia terras.
Aëra diffudit, tum, qui supereminet, ignem.
Terra suos fructus parit admirabile munus
Et natura uirens pictis colludit in hortis.
Hinc pascunt oculos flores uarióq; nitore.
Nec sic contenti tales emittere formas
Spirant ambrosium quid nescio, nectar et illud.
Spiritus exhalat, suauem quoque reddit odorem,
Et bifores refouet confragrans gratia nares.
Quid nunc commemorem syluas, saltusq; ferarum,
Insinuémue choros auium quæ carmina fundunt?
Ista canet querulis modulis philomela canora,
Cuius in arguto sic adsonat ore camœna
Mulceat ut syluas resonas, cœlúmque supremum.
Ecquid pontus habet salsis qui perfluit undis.
Squamigeros pisces fouet arduus inter & illos
Corpora lunantem delphinum lubrica primum
Constituit, meritò, refluis quòd concitus undis
Altius

Altius insultet, uiuasque exhauriat auras,
Et sit præterea puerorum notus amator,
Denique quod melicos concentus diligat omneis.
Forsitan Henricus tulit hinc Valesius ille
Dulce decus Galli præclaræ insignia famæ,
Egregijq́; sui titulum cognominis altum.
Aër me repetit liquido qui candet in orbe,
Atque potens ignis qui uitam, quique calorem
Subsidio quodam confert sua munera largus.
Hîc mea non patitur iam longum causa recessum.
Et quæ præcedunt æterni dona Tonantis
Magna fuêre quidem, recteq́; monentia plebem,
Vt memores illi complerent iussa Magistri,
Ne maiestatis læsæ per crimina nota
Supplicium ingrueret, meriti quoque pœna flagelli.
At collata nouis, quæ fulgent, quæque sequuntur
Exemplis solidis, adsit modo censor acutus,
Parua uidebuntur. Diuinus spiritus ultrò
Obtulit ingenium uiuum, fontesq́; perennes,
Vnde & defluerent rationis commoda magna,
Auxilio quorum uirtus constaret amica.
Ad cumulum redijt Diui indulgentia Patris
Promittitq́; suis amplissima munera Pacis,
Dum recolunt terras, cœlúmq́; deinde coruscum
Hac lege indicta acri, ut quilibet illius alma
Mandata obseruet nocteesq́;, diesq́; fidelis.

Quare tanta Dei cum ſit clementia noſtri.
O memores niueo reddamus pectore grates.
Omneq́; ſidereum pulſet uox conſona cœlum.
Et quoniam Pax nunc, poſt triſtia fulmina belli
Poſt tonitru horriſonū, quale ante hac audijt orbis
Nullum, poſt miſeras cædes, clademq́; frequentem
Per mare, per terras factam, collucet abundè,
Aureus ac tenebras ueluti ſol pellit iniquas,
Conſpicuumq́; refert diuino numine lumen
Optatum toties uotis, & ſupplice mente,
At uix ſperatum, contraria Marte parante.
Mars perijt uictus, diſcedite tela cruenta.
Fulminei uomitus ſileant, ſtrepitusq́; ſonori.
In lucem redijt tandem Pax optima rerum.
Salue feſta dies, qua non illuſtrior ulla
Splenduit à Chriſto nato, quo tempore fauſto
Angelicus cecinit chorus ille ſuäuia planè
Carmina, ſynceram bene conſtituentia Pacem.
Quêis ego iam niueis ſignem de more lapillis
Nomina clara tui generis Virgo inclyta Virgo?
Aut quibus eximiè uernis tua tempora ſertis
Feſta modis multis iuſta cum laude coronem?
Purpureæ, mea cura, roſæ lucêre ſerena
Fronte tua cupiunt, & lætos addere honores.
Palladius ramus uehementer poſcit id ipſum.
Signa ferax præ ſe fert tutæ Pacis oliua.
Illa

Illa triumphalis laurus uictoribus olim
Cognita rite tuum caput exornabit amœnum.
Conuicit rigidum tua sic præsentia Martem
Vt profugus tandem, spe nulla parte fauente,
Sarmaticam gentem, Geticamq; reuiseret ille.
Quam uellem nitidis tua pingere facta tabellis.
In medio Dea celsa foro uel tota niteres,
Vt conuecta suis pulcherrima Cynthia plaustris.
Artificem sed me pictorem nulla uenustas
Constituit felix, uel docta Camœna poëtam.
Mellifluum ista petunt Nasonem, gloria cuius
Sidereis totum radijs dispersa per orbem.
Hæc eadem poscunt Pontani lumina clari,
Qui decus omne nitet Musarum dulce canentûm.
Hîc ego nunc inter positus saxúmq;, sacrúmq;
Distineor, mea mens & pendula fluctuat usq;.
Vt desint iustæ uires, tamen ipsa uoluntas
Me iubet, hortatur, monitisq; impellit amicis,
Ne piger officij uidear desertor honesti,
Accumulare tuas deducto carmine laudes.
Non subterfugiam, lapis atq; mouebitur omnis,
Vt tua laus uireat latæ per climata terræ
Pax syncera parens, & nutrix clara Quietis.
Commendo intereà zephyris mea uela secundis
Nauiget ut tuto nunc læta carinula portu.
Principio referam genus immortale beatæ

Pacis, & insignem, spectatumq; illius ortum.
Aetherei summus cœli qui Rector & unus
Cuncta uidens solidè quæ fecerat esse corusca
Progenuit nitidam diuino numine Pacem,
Quæ cœlo exoriens ueluti noua stella, micaret
In terris etiam, radijs speciosa serenis
Lenis & humanas mentes componeret ipsa.
Virgo sui patris complet pia iussa renidens,
Conspicuumq; auro conscendit splendida currum,
Et comites secum ducit Virtutis alumnas
Inter quas micuit felix Astræaq; uirgo.
Cuius concinuit laudes hoc carmen Arati:
Non dum uesanos rabies nudauerat enses,
Nec consanguineis fuerat discordia nota.
Hæc ille eximius uates qui sidera pinxit.
Pluraq; personuit, nempe ut crescentibus inter
Mortales uitijs sphæram conscenderit altam
Et cœli sortita locum, quà proximus illi
Tardus in occasum sequitur sua plaustra Bootes
Proxima colluxit læto Concordia uultu
A Græcis toties, & decantata Latinis.
Subsequiturq; Quies cœlestis & illa propago.
Aduenêre simul Pietas, Probitasq; decora,
Mitis & eximio Clementia nomine dicta.
Defuit officio nec casta Modestia sacro.
Nec bene grata Charis munus neglexit honestũ,
Quæ

Quæ se indiuiduam comitem quoq; præstitit ultro
Vidit amicitia hæc, & festum circinat orbem,
Filiolumq; suum secum deduxit Amorem.
Denique candidulæ, redolentia serta ferentes,
Palladiósque manu quaßantes undique ramos,
Lilia & insignis candoris munera nota,
Nymphæ omnes comites uenerantur ouantem
In terris Pacem, resonantq; præcantia uerba.
Talia conspiciens læto Deus enitet ore,
Prospicit humano & generi mitißimus ipse,
Admonet atq; pius per leges pérque prophetas
Seruandam Pacem, quæ lucida præmia confert.
Quid quod & æterni patris quoq; filius ille
Aeternus Christus nostræ spes unica uitæ:
Horrida non uenit sparsurus bella per orbem,
Semina sparsurus potius felicia Pacis,
Vnde alacer populus fructum desumeret amplum?
Sed nec Apostolici quicquam docuere ministri
Quod niueam Pacem conuelleret, atq; quietem,
Rectius instabant ut latè cresceret illa.
Paulus præco Dei sic Pacis numina laudat,
Prædicat, extollit reliquis cordatior unus,
Collocet ut rarum supremo munus olympo.
Splendida ut hic mittã scripturæ lumina sacræ.
Non desunt ueterum monumenta illustria multa
Græcorum, celebrant quæ sic pia munera Pacis

Laurigeræ, ut ſolam reſonis concentibus illam
Certantes ſublimè ferant ad ſidera dignam.
Euripides tragicæ qui gloria prima camœnæ
Pacem deſcribens opulentam, túmque beatam
Nominat, hæc addens: Inter pulcherrima Diuas.
Atque alibi: Quantum bello potiórque ſerena
Sit pax in primis quæ Muſas promouet almas,
Luctibus ac aduerſatur, ſobolisq; ſuäui
Dexteritate, hinc atq; opibus congaudet opimis.
Huius Ariſtophanes quoq; uates cõprobat omne
Iudicium, laudes Pacis prædiuitis augens.
Bacchylides cecinit ſacer in Pœanibus iſta:
Maxima quæque refert mortalibus aurea Pacis
Progenies. Pacē cõmēdat ~~doctiq̊q;~~ muſa Philonis;
Hæc et cõmemorat: Nunc id, quod perplacet, ipſa
Inueni. Confer quæ ſunt tua munera largè
Nuptiolas, prolem, cognatos, diuitiásq;,
Corporis & ſani uires, uinumq́; ſuäue.
Hactenus Aonij celebrarunt carmine Pacem
Sideream uates. Succedent moxq́; Latini
Officij memores, almæ & præconia Pacis
Candida mellifluis reſonabunt uocibus aptè.
Sulmonenſe decus Naſo, qui floruit illo
Tempore, quo uaſti felix Octauius orbis
Imperium tenuit tranquilla pace quietum.
Hæc cecinit planè digniſsima carmina cedro.

Illic

Illic tersa dies ubi fastos Musa celebrat:
Frondibus Attiacis comptos redimita capillos
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Dum desunt hostes, desit quoque causa triumphi.
Tu Ducibus bello gloria maior eris.
Insuper hos uersus uates meditatur ibidem:
Sub iuga bos ueniat, sub terras semen aratas.
Pax cererem nutrit, Pacis alumna Ceres.
Rursus & in libris de arte hæc conscribit amādi:
Candida Pax homines, trux decet ira feras.
Ingerit & se nunc facunda Camœna Tibulli:
Intereà Pax arua colat Pax candida primùm.
Duxit ~~ad~~ aratros sub iuga curua boues.
Pax aluit uites, & succos condidit uuæ,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens, uomerq; uigent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
Sillius Italicus canit hæc: Pax optima rerum
Quas homini nouisse datum. Pax una triumphis
Innumeris potior. Pax custodire salutem
Et ciues æquare potens. Sic Sillius ille.
Sunt oratorum etiam monumenta, uenustant
Quæ uel compositæ sublimia nomina Pacis.
Isocrates rhetor, cum dulcis, tum bonus, acri
Concussit bellum sceleratum fulmine linguæ.
Causa quidem nota est. Pacis fuit ille patronus

 Innocuæ,

Innocuæ, didicit pius & seruire clienti,
Quam sic à teneris dilexit gratior annis
Virginis ut coleret præsentia numina diuæ.
Alter & orator scripsit, fuit ille Latinus,
Talia uir totus prudens de pace togata:
Paruæ res crescunt, modo sit concordia præsens.
Dißipat infelix discordia maxima quæque.
Nil aliud uerbis docuit concordibus istis,
Munera quàm Pacis medijs complectitur ulnis.
Præterea & numerus doctorũ applaudit amicæ
Paci, sed longo deducere singula filo
Tempus non patitur breue nunc. Succinctius ergo
Musa suas partes præstabit, nec tamen illa
Transiliet temerè synceræ pacis honores.
Bellum tristis hyems, sit fas mihi dicere uerum,
Omnia corrumpit, ueluti populator iniquus.
Nec sperare sinit quicquam, quod dulce futurum
Vtile quódue siet. tanta indignatio creuit.
Veris at effigies. Pax est ipsißima læti,
Ac sperare iubet felix felicia semper,
Rebus & humanis affulget ut Hesperus illa.
Cultores repetunt agros, hortiq; renident
Floribus eximiè pictis. Pecudes & opimè
Pascuntur. Villæ paßim ædificantur in agris.
Oppida mox instaurantur collapsa, suisq;
Hinc extructa locis ornantur, & aucta profusè

Insolitum

Insolitum ostentant per lumina clara nitorem,
Visq́; salutiferæ legis uiget undique tota.
Cognitione ualens uera respublica floret,
Relligióque suis innititur alta columnis.
Vrbibus in medijs ipsis æquúmque, bonúmque
Præualet, ac morum candor generosior omnis.
Porróque artificûm prudens industria latè
Incalet, & tenuis paupertas sentit amicum
Subsidium. Viduas defendit cura patroni,
Splendidior solito & collucet diuitis aula.
Ocia felicem reddent tranquilla senectam,
Vilis & annonæ precium non comprimet ullum.
Gloria uera pios ornabit laudibus omnes
Emeritis, pœnasq́; licentia praua malorum
Sentiet illa graueis, scelera & deflebit amarê.
Amissus iuuenum bello grex restituetur.
Virgo frequens nubet delecto chara marito,
Et numerosa cohors reparabit damna cadentûm,
Pacatusq́; maris reflui furor improbus ille
Mercatoris opes domino sua fœnora reddet.
Denique sedulitas studiorum clara bonorum
Eloquijq́; decus fama super æthera notum,
Ingenium quotquot felix ostendit & artes,
Nunc depressa modis multis, magnisq́; ruinis
Ad libertatem niueam spe freta redibunt.
Annuat his uotis Pax officiosa, benigna,

Candida, & extollat nitidæ Virtutis alumnos.

Hæc ego concinui diuinæ Pacis amator
Qualiacunque mei commonstrans gaudia cordis.
Te superi faciles conseruent maxime Regum
Henrice, Edduuardumq; tuum. Flos inclytus ille
Nobilium decus & puerorum gloria prima.
Conseruent etiam Dij magni fœdera longùm
Pacis oliuiferæ, ut tu clarißime Victor
In terris uigeas Francisco iunctus amico
Gallorum Domino summo, Regique potenti.
Sic utriusq; suis florebit fama nitelis,
Lætus & applausum populus dabit ore canoro.

FINIS.

APPLAVSVS.

Victor iö uiuat felix Henricius annos
Nestoreos, magnus solidæ uirtutis amator,
Christiädúmq; fidem defendat fortiter almam,
Pergat & amplecti pulcherrima munera Pacis.
Viuat iö uiuat Gallorum maximus heros
Franciscus, niueam qui Pacem prætulit atro
Bello discutiens tenebras, solemq; reposcens.
Viuat iö Princeps Eduardus, Phosphorus ille

Exprimat, & patrem uultu, factisq; serenum.
Viuat iö Henricus Delphini nomine splendens
Prima iuuentutis qui gloria dicitur esse.
Viuat iö reflui Neptuni notus alumnus,
Nereïdúmque decus Dudlêgus festa reuinctus
Tempora Apollineis ramis, quem Regia Galli
Nunc rectè medijs genuina amplectitur ulnis,
Officijq; uices generosior usq; rependit.
Viuat iö Hanbaultus, quẽ Gallica littora cantant,
Extollunt, celebrant, quòd præsit nauibus altis,
Oceani tumidas compescat Rector & undas:
Quem nunc prætereà præsentem Regia diui
Celsior Henrici collaudat, suspicit, ornat.

LONDINI.
Apud Reynerum Wolfium in
cœmiterio Paulino, ad
æneum serpentem.
Anno M. D. XLVI.
mense Augusto.

LILII
GREGOR


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm